J. Condamin
8 avril 1913

DE LIBRO

SECRETORUM FIDELIUM CRUCIS,

CUJUS AUCTOR

MARINUS SANUTUS,

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI THESIM PROPONEBAT

A. POSTANSQUE,

IN EADEM FACULTATE JAM LICENTIATUS,

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS,

NON AUTEM, EHEU! PROMOTUS

Siamo Veneziani, poi Christiani.

MONTE PESSULANO,

E TYPIS JOANNIS MARTEL, NATU MAJORIS.

1854.

ORNATISSIMO VIRO

S. R. TAILLANDIER,

GALLICARUM LITTERARUM IN MONSPELIENSI

FACULTATE PROFESSORI,

Hoc minimum amicitiæ simul et observantiæ pignus

D. D. D.

A. POSTANSQUE.

DE LIBRO

SECRETORUM FIDELIUM CRUCIS,

CUJUS AUCTOR

MARINUS SANUTUS.

I.

Exstincto Ludovico Pio, coloniæ quas in Terra Sancta Christiani constituerant omni inopes auxilio derelictæ sunt, cumque eis una minarentur Tartari Asiam incolentes et Sarraceni qui in Ægypto exercebant imperium, haud multo post innumerorum hostium præda factæ sunt. Laodicæa, Tripolis, Ptolemais, omnes scilicet urbes quas adhuc Christiani sub ditione tenebant, ab Ægyptiis expugnatæ sunt, atque e civitatibus, armis olim summa cum laude paratis, nulla om-

nino superfuit [1]. Frustra Summi Pontifices antiquum ardorem refovere conati sunt ; vox non exaudita fuit , nec melius successoribus evenit quam Gregorio X, qui in concilio Lugdunensi (1274) fideles nequicquam ad arma vocaverat [2]. Quod quidem plane intelligere licebit, si quis tunc temporis fuerit Christianitatis status summatim inspexerimus. Omnes nempe reges ac populi, propriis intenti et ad utilia tantum spectantes, procul adeptam prorsusque vanam gloriam minimi faciebant. Post Interregnum, Imperatores apud Germanos quo rempublicam melius ordinarent contendebant , Galli et Angli duello præludebant seculari, Hispani contra e montibus egressi patriam Deumque defendebant adversus Mahumeti sectatores, disturbatæ Italiæ sensim appropinquabat occasus, et schismatici Græci, de minimis in disputando pertinaces, ne propriis quidem periculis ad imperium tuendum incitabantur.

II.

Dum ita terrarum inter dominos recuperandæ Terræ Sanctæ prope neminem cupido teneret, nonnulli exsti-

[1] Michaud, *Histoire des croisades*, sixième édition. Paris, 1841, T. V, ch. XVIII.

[2] *Ibid.*, p. 97. *Annales ecclesiastici*, anno 1274.

terunt viri quibus devicta causa placuit, quique majus instituentes opus quam effici posset, ut inane peragerent consilium, vitam, fortunas ingeniique dotes libentissime contulerunt. Anno 1288, quidam inter philosophos, Raimundus Lullius, Summo Pontifici opus obtulit cui titulus *Tractatus de fine*, et quo diligenter exponebat qua ratione Christiani propagare fidem et, Sarracenorum imperio debilitato, Palæstinam in ditionem iterum redigere possent. Nulla deinceps cum Ægyptiis mercatura facienda erat, itaque eorum imperium brevi dirutum fuisset, dum Occidentis mercatores, ultimis etiam Indiæ partibus aditis, merces ibi quærerent ipsi quas antea majori pretio a Sarracenis emebant. Dum vixit, Lullius enixus est ut ad hoc consilium reges adduceret; cœpta vero cecidere, ac deinceps, a barbaris interfectus, hoc solum pietatis præmium obtulit [1]. Eodem tempore, vir inter Venetos nobilissimus, nomine Marinus Sanutus, idem consilium assecutus est, et cum ejus vita aut scripta temporum illorum historiam possint illustrare, quis fuerit indagare, quidque in operibus utile mandaverit forsan operæ pretium est.

[1] Michaud, *Histoire des croisades*, T. V, pp. 171, 172. — Depping, *Histoire du commerce entre le Levant et l'Europe*. Paris, 1830, T. II, pp. 192, 193.

III.

Marinus Sanutus, cognomine Torsellus, Venetiis natus est, tertio decimo sæculo exeunte, genere clarus, cum parentes, in quibusdam Maris Ægei insulis imperium exercentes, contra Constantinopolitanos Imperatores insurrexerint [1]. Ut e pueris excessit, in exteras regiones peregrinatus est, et maria septentrionalia, Holsatiam, Sclaviam, Ægyptum, Armeniam, Palæstinam, Cyprum, Rhodum adjacentesque ripas, operis ac laboris invictus, perlustravit [2], atque etiam, ut ipse narrat, in Romania majorem partem temporis vitæ peregit [3]. Ibi Christianorum partes acriter amplexus, consilium inivit quo, Terra Sancta recuperata, mirum in modum patriæ opes necnon imperium augerentur. Ut igitur propositum finem assequi posset, opus scripsit cui titulus: *Liber secretorum fidelium crucis* [4], et quo adjuvante, discere fas erit non solum quæ fuerit Nostri de re politica sententia, sed etiam quales ab Occidentis gentibus Orientis regiones exploratæ

[1] *Secreta fidelium crucis*, præfatio; ap. Bongars, *Gesta Dei per Francos*, T. II. Hanoviæ, 1611.

[2] *Ibid.*

[3] *Secreta fidelium crucis*, p. 3.

[4] Invenitur apud Bongars, *Gesta Dei per Francos*, T. II.

fuerint quarto decimo sæculo, quatenus nationes eodem tempore commercio miscerentur, ac denique quanta apud Christianitatem rerum et animorum commutatio facta fuerit, quum, antiquo fervore pene exstincto, id imprimis curarent omnes ut fortunas et imperium amplificarent.

IV.

Marinus Sanutus primum exponit quot et quantis periculis, præsertim in Oriente, Christiani sint obnoxii, undique impediti ab hostibus, quorum, favente fortuna, in dies increscit audacia. Sarraceni regnum Tunetis, Ægyptum, Palæstinam et Syriam occupant; in Asia Minori et in insulis prope Romaniam adjacentibus Turcæ dominantur; Tartari, Perside et Asia tota potiti usque ad extremam Orientis partem vagantur, ita ut Armenia et Nubia, quarum incolæ christianam fidem retinuerunt, derelictæ pateant et vix defendi possint[3]. Haud secus in Occidente; Hispani multo labore hostes propulsare conantur, dum Græci propter schisma, prætermissa salute, ægre Turcis et provincias invadentibus obsistere valent. Quæ quum ita sint, certe consulendum est ut Infidelium potentia debilitata, imperium penitus dirutum evanescat, idque

[1] *Secreta fidelium crucis*, lib. I, part. V, cap. II.

futurum Noster existimat animo fidenti, si a se cogitata quam celerrime perfecta fuerint.

V.

Ex omnibus hostibus qui, ut incondite Noster, *Christianorum ossa rodunt*[1], maxime formidandus est Ægyptiacus Soldanus. Quippe qui non Ægyptum modo, Palæstinamque et Syriam ditione teneat, sed et navium copiam ingentem[2] equitumque habeat[3], et Turcis fœdere junctus sit[4], et amicum habeat commercium cum Imperatore Constantinopolitano Tartarisque qui Mahumeti religionem professi sunt[5]; hic igitur primus occupandus est. Haud aliter quidem sentiebant Almericus Sanctusque Ludovicus, quum olim Ægyptum invasere; cum autem bellum ab iis male imprudenterque gereretur, res illis improspere cessit: alia igitur ratione utendum est. Soldano sunt immensæ opes quæ proveniunt e mercibus in regna ejus importatis aut inde exportatis[6]; earum autem fons est exhauriendus. Quamobrem nil deinceps in Ægyptum afferendum est[7],

[1] *Ibid.*
[2] Marina Soldani magna (lib. I, part. IV, cap. II).
[3] Sunt LX millia hominum in equis (lib. II, part. II, cap. II).
[4] Lib. I, part. IV, cap. IV.
[5] Lib. I, part. V, cap. III.
[6] Lib. I, part. I, passim.
[7] Lib. I, passim.

mercesque ex Oriente ductæ altera via transvehendæ sunt [1], imo ad Indos usque quærendæ. Vetabitur quoque ne merces emantur in oris Asiæ Minoris, vel in insulis Romaniæ, in Armenia, pariterque in Africa Hispaniaque, ne eo ex Ægypto ductæ sint [2], et quidem pœnis gravissimis. Delinquentes Ecclesia excommunicatione mulctabit, ut solet, participes fautoresve pravitatis hæreticæ [3]. Prohibebitur ne quis dominus terræ vel rector, illa mandata transgressos domi excipiat [4]. Quæ omnia quo diligentius serventur, armamentis instruetur opulenta classis decem constans galeis. Unicuique præerit vir peritus et spectatus, cum ducentis et quinquaginta militibus, nautas inter optimos delectis. Universæ classi præficietur capitaneus qui

[1] Lib. I, part. I, cap. I.

[2] Lib. I, part. IV, cap. I, II, III, IV, V. — Hac ratione Veneti sæpius hostes eruere conabantur; vetabant ne merces ab eis emerentur, et ad eos adventarent, itaque fortunis eversis facilius opprimebantur: « Prædicti enim Veneti, quando » discordia oritur inter eos et civitatem aliquam Lombardiæ » vel Marchiæ Tervisinæ inimicos suos duplici via lædunt. » Prima est via levior; non ejus arma capiunt, vel in personam » lædunt, vel temporalia bona subripiunt; sed stricte prohibent » ne eorum victualia vel mercimonia quæcumque ad civitatem » Venetiarum portari, aut per loca eis subjecta deferri, aut e » contra de civitate vel districtu Venetiarum ad eas transferri. » (Lib. II, part. III, cap. III.)

[3] *Ibid.*

[4] *Ibid.*, cap. VI.

cæteros duces in consilio habeat, unaque omnes, si quid captum fuerit, inter se divident. Ecclesia quidem naves nonnullas suppeditabit; sed illi procul dubio quorum interest ut Soldani opes eruantur, et quibus indulgentia concessa erit, galeas pro se quisque sufficient. Itaque confidere licet Venetorum navibus, cum Ægeum teneant Mare, et illis quos addent Genuenses, Constantinopolitanus Patriarcha, Cretensis archiepiscopus, rex Cypri et Hospitalarii, quum omnes Soldano ejusque sociis inimicissimi sint [1]. His autem artibus, Soldanus, cum jam non immensa vectigalia e mercibus percipiat, regna sua transvectis, omnino pessumdabitur, nec jam naves habere poterit, cum Ægyptus res minime ferat navibus ædificandis necessarias [2], nec milites conscribere, cum illud antea non assequeretur nisi impensis in id opibus [3], Ægyptusque viros non habeat qui Christianis terrorem injiciant.

VI.

Quibus artibus diligentissime servatis, postquam omni præsidio nudatus erit Soldanus, et sublatis omnibus vectigalibus, pessumdatus, tum vero bellum in Ægyptum inferendum erit. Ægyptus autem usque

[1] Lib. I, part. IV, cap. VII.
[2] Lib. I, part. I, cap. VI.
[3] Lib. I, part. III, cap. II.

patet quasi quædam janua qua licet penetrare [1]; hic fons est qui arborem alit cujus Syriam Palæstinamque et Tunetis regnum ramos esse dixeris [2]; is ergo opprimendus est : sed cavendum tamen ne ista renovetur imprudentia propter quam vicissim duo Hierosolymæ reges Gallorumque rex unus rem male gesserunt. Mittendus primo erit hanc adversus regionem occupaturus exercitus equitibus quindecim mille constans, trecentisque peditibus [3]. Quibus præerit unus imperator, quia « res ordinata unum caput requirit »; strenuus sit necesse est ille imperator, virtutibus ornatus, qui « plus » bonum Christianitatis quam proprium diligat. » Oportet præsertim Venetorum benevolentiam amicitiamque sibi conciliaverit, ut possit in eis consilium et auxilium invenire [4]. Exercitum vero componet una gens; sic vitabuntur rixæ dissensionesque sæpius e gentium diversitate morumque varietate orientes : quæ gens erit Venetorum. Ea quippe regio fert nautas peritissimos, adversis fluminibus navigando assuetos; cæterum cum proxima sit, multosque in Romania portus habeat, æquum est illam plurimum ad hoc bellum conferre [5].

[1] Lib. II, part. II, cap. IV.
[2] *Ibid.*, cap. VII.
[3] Lib. II, part. I, cap. I.
[4] *Ibid.*
[5] *Ibid.*, cap. II.

Ita compositus ductusque exercitus Ægypti littoribus appelletur, ibique propugnacula exstruet [1]. Vetabitur autem ne commeatus mercesve Soldani subjectis afferantur [2]; ita ut mox inedia simul et inopia consumantur necesse est. Tunc temporis oppugnabuntur oppida maritima quæ facile occumbent, dum Nilus superabitur adversus totaque regio occupabitur [3]. Interea Sarracenos Hispani aggredientur, Tartari vero per legationes conciliabuntur, et cum denique Ægypti dominatorum opulentia undique ruinosa erit, tum maxime Cruce prædicata, colligentur peditum quinquaginta millia, equitum duo, Ægyptum vice sua navibus quinquaginta invasura [4]. Quæ vero, cum jam occupatas arces inventura sint opesque semirutas, id tantum efficient ut facilem victoriam absolvant. Ille autem exercitus mari advehendus erit, non autem terra propter longitudinem difficultatemque viæ, nec Syriæ desertis ubi solitudinibus occurrat, nec Africa in qua easdem quas olim Sanctus Ludovicus calamitates bello experiatur [5]. Armis ita subacta Ægypto, « quia extirpata radice oportet quod » necessitate rami arescant », regiones omnes ab Infide-

[1] *Ibid.*, cap. III.
[2] Lib. II, part. III, cap. III.
[3] *Ibid.*
[4] Lib. II, part. IV, cap. XXVII.
[5] Lib. II, part. II, cap. I, II, III.

libus occupatæ rursus occumbent : Occidentem versus ex Hispania Sarraceni expellentur ; in Oriente vero Græci hæresim exuent, in sua deserta Turcæ redigentur, Sancta denique Terra armis iterum quæsita, a turpi jugo in libertatem vindicabitur[1].

In hac secunda parte, Noster copiosissime disserit de numero navium quas postulat id bellum, de forma quam induant necesse erit, de numero militum quos invehent, de stipendio commeatibusque cuique tributis, de armis suppeditandis, de sumptibus insumendis; fusius considerat quomodo conscribi possit exercitus regionem occupaturus, servarique copia in castris apud Ægyptum habitis, necnon cum Occidente commercium ; ad ultimum constat eum altius meditatum fuisse consilium, omnesque secundos adversosve providisse eventus, nec nisi omnibus administratoris politicique viri ornatum virtutibus talia suasisse[2].

VII.

Ubi vero Sancta Terra in ditionem Chistianorum rursus erit redacta, cavendum erit ne in easdem culpas recidant propter quas erepta fuit toties, postquam honestissime bello quæsita fuisset. Regum igitur temere facta, principum dissensiones, incolarum post victo-

[1] Lib. II, part. IV, cap. XXVII.
[2] Lib. II, part. IV, passim.

riam mollitie fluentium vitia vitanda erunt. Dabitur opera strenua diligensque ut tam pretiosum belli præmium servari possit. Eligetur primum rex unus, prudens, usu exercitatus, integer, temperans, virtute præditus, qualis erat Godefridus. Principes autem et barones mollitiei jam non indulgebunt, sed ut viros decet, vitam agent; populus contra in armis exercebitur, regio propugnaculis instruetur; tum demum omnibus diligentissime dispositis, minime dubium quin superetur hostis si quis adhuc superesse valeat. Summus ipse Pontifex, in Palæstinam, concessa peccatorum remissione, colonos arcesset, quorum intererit regionem totis viribus defendere. Eis quippe « sub certo » annuo censu terræ tribuentur », atque ita christianæ dominationis servandæ studiosi, sacratam hanc tellurem posteris tradent in perpetuum Infidelium jugo liberatam [1].

VIII.

Postquam opus exegit anno 1306 susceptum, Marinus Sanutus, « sola libera voluntate », ad Summum Pontificem Joannem XXIII se contulit, eique anno 1321 obtulit exemplaria duo tabulis ornata quatuor geographicis, quæ mare et terram, Internum Mare, Sanctam Terram Ægyptumque fingebant oculis. Hunc

[1] Lib. III, part. XV, passim.

benevolentia summa Pontifex excepit, opusque ejus à viris quatuor eruditis recognosci jussit[1], quod illi, quibusdam partibus exceptis, probavere[2]. At Sanutus, quamvis ipsi assensus esset Pontifex Summus, non perfecta tamen vidit consilia, reliquamque vitam egit diversas Orientis Occidentisque partes lustrando, principesque omni ope conando adhortari ut armis Ægyptum Sanctamque Terram subigerent. Exstant illius plurimæ epistolæ quæ testantur quanto studio simul et quam frustra flagraverit. In Occidente scripsit ad Philippum quartum, Francorum regem : « Ce serait plus » légère chose à sa haulte Majesté d'avoir la seigneurie » du monde et gagner Paradis, que ne fut à Alexandre » qui fut sire du monde. » Ab eo petivit ut exercitum educeret et cum Venetis jungeret fœdus; cæterum illum præsidio Roberti Neapolitarum regis, Frederici regnantis in Sicilia, Constantinopolitani Imperatoris, Cyprique et Rhodi confidere posse[3]. In aliis quæ supersunt epistolis, Noster urget iterum ad bellum Summos Pontifices, Siciliæ Neapolisque reges[4]; in Oriente Armeniæ regibus pollicetur illis se non defuturum[5], suadet

[1] *Secreta fidelium crucis*, præfatio.

[2] *Ibid.*, pp. 3 et 4.

[3] Ap. Bongars, T. II, pp. 5 et 6.

[4] *Sanuti Epist.* I, II, III, IV, V, VIII, XI, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX, XXI, XXIII.

[5] *Sanuti Epist.* VI.

Constantinopolitanis Imperatoribus ut in ecclesia desinant esse contumaces, hac lege tantum concessum iri Latinorum præsidium [1]; verum omnia nequicquam. Tum demum animo viribus et spe destitutus, id unum petiit ut protegeretur Armenia christiana [2]; nec quidquam amplius quam naves quinque efflagitavit [3]. Eminet ejus mœstitia in epistolis quas perlegere operæ pretium est. « Italia omnis dissidet...... » ut scribit, « et, proh » dolor! in isto sacratissimo negotio dormiunt quidem » multi quorum oculi mundanæ possessionis pulvere » sunt gravati [4]. » Interea Sarraceni semper progrediuntur, expugnataque Nigroponte, Maris Ægei insulas aggressi sunt, Athenarumque vicinia [5], ut Nostro diem prævidere liceret fatalem quo Mahumeti signa Byzantii mœnibus affigerentur.

Nec metus eum fefellit; Sancta namque Terra semel omnino derelicta, Turcæ Græcorum Imperii dissensionibus usi, perniciosaque regum Occidentis incuria, usque progressi sunt, Minorique primum Asia potiti, dein in Europam transierunt, et ad ultimum suam ibi dominationem stabiliter constituerunt.

[1] *Sanuti Epist.* VII, IX, XII.
[2] *Secreta fidelium crucis*, p. 7.
[3] *Sanuti Epist.* IV.
[4] *Sanuti Epist.* III.
[5] *Sanuti Epist.* XXIII.

IX.

Quæ omnia vitari potuisse, si Sanuti consiliis reges usi fuissent et arma iterum pro Terra Sancta recuperanda sumpsissent, non equidem senserim, cum nihil aliud nisi perficiendum nulli propositum Noster inierit[1]. Jam enim antea vetitum fuerat à Summis Pontificibus ne quid ex Ægypto emeretur, nec quisquam illis paruerat[2].

[1] De his disputatur. Jacobus Filiasi, in *Ricerche storico critiche*, hæc asserit : « Se lo avessero fatto, il traffico dell'Indie orientali forse non sarebbe fuggito dalle loro mani » (ap. Daru, *Hist. de Venise*, 2e éd. Paris, 1821, T. III, ch. XIX, p. 76). — Heeren censet Ægypti possessionem necessariam fuisse ut Palæstina servari posset. (*Essai sur l'influence des croisades*, versio gallic. Paris, 1808, p. 32.) — Almericus, cruce signati qui quintum bellum susceperant, Sanctusque Ludovicus quanti referret Ægyptum occupare ante Venetos intellexerant; si autem consilium illud valde laudandum est, quominus perficeretur quam multa obstabant! Alexandriam armis olim occupatam postera die Veneti deserere coacti sunt. (Daru, *Hist. de Venise*, T. III, p. 77.)

[2] Hujusce prohibitionis multa exstant testimonia ; unum a Nostro affertur. In Lateranensi concilio (1177), Alexander III decrevit : « Infideles et impii Christiani qui Sarracenis arma, »ferrum et lignamina galearum deferunt, et ad impugnandum »Christianos necessaria subministrant, vel in galeis eorum, seu »in pyraticis navibus curam gubernationis exercent, excommu»nicationi subjecti sunt, ac rerum suarum per principes secu»lares privatione mulctari et capientium servi fieri censentur » (lib. III, part. IX, cap. IV). Omne commercium serius (1307) a Clemente V cum Sarracenis vetitum fuit. (Heeren, *Essai sur l'influence des croisades*, p. 364.)

Ipsi quoque Veneti ante alios, contemptis legibus, lucri cupidine impulsi, in Ægyptum alia multa, servosque etiam invexerant quos Soldani in armis exercebant copiis adscribendos. Nemini vero dubium quin et has leges non secus quam olim violaturi fuissent, cum res ad ipsorum commercium plurimi interesset, neque ii essent qui præsentem utilitatem commodis incertis posthaberent. Quas etiam si leges servassent, certe Græci schismatici Summi Pontificis mandata non perfecissent, Genuensesque, cum Venetorum potestati inviderent, omni ope profecto enixi fuissent ut eorum consilia disturbarent. Ægyptum quidem iterum à mari licebat occupare; sed quo cœptum abiisset, quum Godefridus, Fredericus I, Philippus-Augustus, Fredericus II, Sanctusque ipse Ludovicus rem male gessissent? Eadem certe occurissent impedimenta, nec vitari potuissent Græcorum malevolentia, Christianorum dissensiones, eorum post victoriam mollities, Barbarorum Orientis incursus, præsertimque regum populorumque Occidentis ignavia, qui regiones summa laude partas eripi sibi jam passi fuerant, quique, ut supra diximus et modo Nostri testimonio manifestum erit, commoda certa sibi comparare malebant finesque suos dilatare, quam in Oriente regiones armis quærere quas et subigere difficile et tueri difficilius, cum res ad Venetos tantum augendi commercii studiosissimos pertineret.

X.

Quod si Sanuti liber argumento est prudentissimo etiam ingenio præditos viros errare posse, dum consilia inania prosequuntur, nec aliud Noster conscripsit nisi quod legendum foret propter eamdem ipsam rationem qua libri consilia Alexandri referentes, Cæsarisque et apud nos Henrici Quarti, æquum est agnoscere aliud utilitatis genus exinde percipi licere, certasque notitias de historia geographiaque et commercii statu posse hauriri. Has autem attente perquirere jam aggrediemur, documentis nitentes quibus confirmare quidquid ab eo prælatum est, aut infirmare licebit.

XI.

Ineunte operis tertio libro, Sanutus historiam Terræ Sanctæ breviter resumpsit, quam a principio repetitam, ut tunc mos erat, eo usque narrare pergit quoad recentiores colonias amiserunt, nimirum circa tempora quibus ipse vixit. Inde quidem nihil profecto notandum percipias; priore vero in parte, quæ nempe ad historiam Terræ Sanctæ pertinet ad Romanorum usque imperium, auctor satis habuit libros sanctos paucis referre Josephumque scriptorem, immixtis aliquot illepide

dictis [1]. In his autem quæ sequuntur, Jacobum de Vitriaco Willermumque Tyrensem imitatus est. Quod ait de Mahumeto argumento est multum abesse ut odia adversus Infideles tunc temporis exstincta essent, quamvis eorum religionis dogmata melius essent quam primis temporibus cognita [2]. Narrat Carolum Magnum Terra Sancta fuisse potitum [3], quod certe e fabulis assumpsit quæ medio ævo spargebantur passim de illo principe, cujus facta ut olim Alexandri tradendo immutabantur [4]. In his etiam omnibus quæ sequuntur, id est in piis bellis enarrandis, nihil fere invenias nisi descriptas aliquot urbes regionesque, et quædam de Syriorum moribus, Tartarorumque et Christianorum qui in Oriente permanserant, id est Pullanorum. Frigidus etiam et pressus videtur, cum res memorat ipsius temporibus perfectas, Ptolemaidos exempli gratia expugnationem [5]. Quid multa? Illius opus ut in nar-

[1] *V.* subtiliorem matris orationem ad filium, dum a Romanis Hierosolyma obsidione cingeretur (lib. III, part. I, cap. XIV).

[2] Lib. III, part. III, cap. III et IV. — Hæc lepide de voluptatibus a propheta nuntiatis : « bestialibus, bestialis gloria promittitur. »

[3] Lib. III, part. III, cap. VI et VII.

[4] *Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, T. XXI. — Foncemagne, qui de his docte disserit, censet hanc de Carolo Magno sententiam a quodam Sancti Dyonisii monacho pervulgatam esse ex undecimo sæculo.

[5] Lib. III, part. XII, cap. XXI.

rando parum habet delectationis, ita judicium narrantis fere nusquam deprehendas [1].

XII.

Quod si nova facta nostrum apud auctorem minime quærenda sint, longeque inferior sit primigenis piorum bellorum scriptoribus, at certe notitiis abundat geographicis, quas ante omnia curare videtur.

Postquam Romanorum imperium Barbaris succubuit e Germania profectis, geographica doctrina quam Plinius, Ptolemæusque et præsertim Strabo in tantum extulerant, oblivione, ut alia multa, obruta est. Victoribus nulla erat notitia regionum illis conterminarum quas incolebant. Vix Lutetiæ Burgundia noscitabatur, jungendique commercii nulla fere copia, locorum impervia, et pericula itineris hanc inscitiam adjuvabant. Cum Occidentis populi primum Orienti bellum intulerunt, ignorabant loca per quæ transibant, libenter quidem ubicumque puerorum more quæsivissent num hic esset Hierosolyma, ducibus indigebant, et ubicumque regiones reperire volebant sanctos apud libros dictas, eversamque Babylonem existimabant Bagdad

[1] Nonnulli etiam errores notantur a De Guignes (*Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, T. XXXVII, p. 492).

aut Cairum a Sarracenis ædificatas [1]. Tabulæ temporibus illis confectæ terrarum nec figuram, nec terminos, præbebant; satis habebatur ibi promiscue annotare ea quibus vehementer movebantur viatorum animi, si quæ mirabilia essent in quaque regione, animalia, ædificiaque et homines variis vestibus indutos. Quibus ex tabulis unam vidit vir apud recentiores doctissimus, qua mediis in terris fingebatur Hierosolyma, promiscueque omnes Palæstinæ urbes agglomerabantur, Syriæque et Ægypti ædificiis indicatæ, sicut Hierosolymæ indicium erat templum cruce præfixum [2]. Bella autem ad Sanctam Terram armis iterum subigendam suscepta geographiæ studium mirum in modum incitaverunt. Jam vero certius cognitæ fuere vicinæ Danubio regiones primis temporibus peragratæ, Græcorum imperium anno 1204 subactum, Asia Minor toties armis occupata, Armenia cui fœdere juncti reges erant, Palæstina in qua regnum constitutum, et Ægyptus oraque Africæ septentrionalis cui Sanctus Ludovicus semel atque iterum victor est appulsus. Redivivi quoque causa commercii, Septentrionis regiones exploratæ sunt, terræque oras Maris Interni

[1] Michaud, *Histoire des croisades*, T. VI, pp. 306, 307. — Choiseul-Daillecourt, *De l'influence des croisades*, Paris, 1809, p. 178.

[2] Michaud, *Hist. des croisades*, T. VI, p. 308. Heeren, p. 434.

juxta jacentes, ejusque insulæ. Iisdem temporibus, impavidi viri christianam propagaturi fidem, aut mercatores lucrum expetentes, in remotissimas usque Orientis regiones penetrare ausi sunt, post imperii romani ruinam penitus ignotas. Anno 1245, monachus quidam, Ascelinus ad ducem Tartarorum missus fuit a Summo Pontifice Innocentio IV; iter fecit per Syriam, Mesopotamiam et Persidem, ad terras usque in orientalibus Maris Caspii littoribus jacentes [1]; eodem ipso anno, Plan Carpinus regiones omnes transiit a Tartaris in Asia occupatas [2]; anno 1253, Sancti Ludovici legatus, nomine Rubruquis, ad Karakorum usque pervenit in oras fluminis Onon, ibique constitutos Europæ incolas invenit [3]; denique ab anno 1271 usque ad annum 1295, Venetus quidam, Marcus Paulus, Asiam omnem peragravit, Indiam exploravit, peninsulam ultra Gangeticam, insulas infra continentem Asiaticum jacentes et regiones a recentioribus *Chine* et *Japon* vocatas, quas nominibus *Zipangu* et *Cathay* designavit, et in Africa totam oram orientalem, non excepta insula quæ nunc dicitur *Madagascar* [4].

[1] Malte-Brun, *Précis de la géographie universelle*. Paris, 1840, T. I, p. 227.

[2] *Ibid.*, p. 228.

[3] *Ibid.*, p. 230.

[4] Choiseul-Daillecourt, *De l'influence des croisades*, p. 180. — De frequentiori eo tempore populorum Occidentis cum Tar-

Editæ sunt horum itinerum narrationes, quæ quidem errores fabulosasque descriptiones habebant, viatorum credulitatis et inscitiæ indicium; jam autem non nihil profectum erat et manifestum est per Sanutum, quam geographicæ notitiæ quarto et decimo sæculo permultæ jam essent. Addidit operi orbis universi delineationem quamdam ineleganter quidem adumbratam, magni tamen æstimandam [1]. Europa, Asiaque et Africa ibi effinguntur ex omni parte mari circumdatæ. Quarum incertæ sunt figuræ, lineamenta vero maxime contraria, magnæ tantum divisiones indicatæ. In Europa septentrionis regiones circumscriptæ sunt, verum confusius; Norwegia et Suetia isthmo arctiori cum continente conjunctæ sunt, parsque interior admodum incerta est, vixque etiam regionum ad meridiem sitarum figuram agnoveris. In Asia vero partes Mari Interno vicinæ veram prope oculis speciem subjiciunt; at septentrionem versus nihil aliud indicatur quam quod regio inhabitata sit propter algorem. Mediam

taris Asiam incolentibus commercio. *Vid.* Abel de Rémusat, *Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, T. VI et VII; Depping, T. I, p. 15 et sq.; Charrière, *Précis des relations de la France dans le Levant*, formant la préface des volumes publiés par le Ministère de l'instruction publique, in-4°, T. I, passim. — De Marci Pauli itineribus. *Vid.* Malte Brun (T. I, p. 234 et sq.).

[1] Ap. Bongars, *Gesta Dei per Francos*, T. II.

Asiam occupant *Gog* et *Magog* castra, Tartarorum ingens multitudo fabulosumque presbyteri Johannis regnum et *Cathay*. India autem vix adumbratur, idque plurimum miratur Noster, quod ibi nascantur elephantes. Africa delineatur secundum Erastothenis et Strabonis opinionem, ac supra circuitum æquinoxialem terminata, in parte ad aquilonem conversa quam in ea quæ spectat ad meridiem latius patet. Ora Mari Interno adjacens accurate quidem effingitur; omnia autem in Africæ gremio et infra ignota : regiones inhabitatæ dicuntur propter calorem. In Nubia Nili fontes indicantur, ac prope littus orientale *Zinziber* dictum (id est *Zanguebar*), quamdam deprehendas insulam quæ vocatur insula piperis (*Madagascar?*).

In altera charta accuratius Syriæ et Ægypti oræ depinguntur; regiones, oppida, præsertimque portus ex ordine certo collocantur usque ad Babyloniam prope Nili ripas. Pyramides, de quibus apud auctores eo tempore nulla mentio facta fuit [1], ita designantur : « istas » turres fecit Pharao in capite solitudinis. » Attamen nonnulli errores notandi sunt : isthmus quo cum Africa jungitur Asia multo latius patet, Arabia quadratam nimis affectat formam, denique ultra Palæstinam nihil nisi incerta occurrunt [2].

[1] Michaud, *Histoire des croisades*, T. VI, p. 307.

[2] Ap. *Gesta Dei per Francos*, T. II.

Præter illas chartas, quibus etsi rustice factis scientia geographica progredi potest, de iisdem in Sanuti libro multa colligenda sunt. Regiones septentrionales quas parum Romani noverant, diligenter eo tempore fuerant exploratæ, cum Noster, Holsatia et Sclavia peragratis, suadeat ut nautæ apti ad expugnandam Ægyptum conscribantur in Suetia, Norwegia, Germania, Flandria, apud Frisones et populos qui comitatus Gelleræ et Clevæ habitant [1]. De terris Mari Interno adjacentibus, toties, ex quo bella fidei christianæ propagandæ causa suscepta fuerant, lustratis, Noster nihil memorat, et prætermittit Siciliam, Cyprum, Rhodum, Maris Ægei insulas et Romaniam de quibus multa percallebat. Regiones vero ab Occidente distantes magis, Africæ [2], Asiæ Minoris [3], exempli gratia, Syriæ [4] et Ægypti [5] oras singillatim et prolixe depingit; in istis autem nulla eminent, ac tantum portus et oppida, nullo prope excepto, nomine designantur. Nihilominus apud Nostrum quærendi sunt fines Regni Hierosolymitani, inter quatuor principes

[1] Lib. II, part. IV, cap. XVIII.
[2] Lib. II, part. IV, cap. XXV.
[3] Lib. II, part. IV, cap. XXVI.
[4] Lib. III, part. VI, cap. XVIII; — part. XIV, cap. II.
[5] Lib. III, part. XIV, cap. XII; — lib. II, part. IV, cap. XXV.

comitesque divisi [1]; ibidem de Antochia [2], Tyro [3], Hierosolyma [4], Nazareth [5] ac præsertim de Nilo [6] quædam occurrunt minime aspernanda. Verisimile tamen crediderim a Sanuto scriptum fuisse opus quod

[1] Lib. III, part. VII, cap. I.

[2] « Antiochia in Cœlesyria sita est, in valle abundantissima,.... fontibus et rivulis irrigua » (lib. III, part. V, cap. IV).

[3] « Est autem Tyrus supra mare, muro et antemurali ac turribus eminentibus munita; portus ejus idoneus et securus, infra mænia præbebat navibus stationem. Ex parte vero terræ triplici muro crosso cingitur, habetque fossas profundas et latas ad quas facile esset introducere aquas maris. Muri quoque XII turribus munitissimis ornantur : turribus vero continuatur arx civitatis in rupe, in corde maris, et ipsa turribus ac palatiis distincta. Caput et metropolis universæ provinciæ Phœnicis : piscibus abundantissima, fontibus et rivis aquæ dulcis irrigua, vineis et agris frugiferis amœna et fertilis » (lib. III, part. VI, cap. XII).

[4] « Est autem civitas Jerusalem secundum omnes ejus partes in monte et eminenti loco sita,.... lacte et melle manans, frumento, vino et oleo abundans, cunctisque temporalibus bonis, fluminibus autem prorsus caret. Fontes non habet....; sunt autem tam in urbe quam extra cisternæ multæ..... Muro quoque valido undique cingitur, nec nimia parvitate angusta, nec fastidiosa quantitate superflua » (lib. III, part. VII, cap. II).

[5] « Hæc est illa amabilis civitas..... Virgo enim campus est, nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec fimo impinguatus, nec manu hominis seminatus » *(ibid.)*.

[6] Tum noverant quatuor tantum Nili ramos : « Unus Tenex nominatur, secundus est Damiatæ, tertius Strioni, quartus Raxeti. » Quantum inter se distent Noster memorat, additque multas esse rubinas quæ per terram Ægypti sparguntur, de quibus pars terræ irrigatur. (Lib. I, part. I, cap. VI.)

nautis utile foret, eumque utrum viris eruditis placeret, necne parum curavisse. Trans Euphratem viatores per Asiam iter sæpius fecerant, de imperio Tartarorum multa mandaverant; Sanutus quoque de illis nonnulla profert in lucem, excerpta autem e Vincentio Beluaensi [1]. Ex his demum quæ narrat de viis per quas mercimonia transvehebantur et de India, valde probatur nullam eo tempore Asiæ regionem ignotam fuisse, cum de illis multa tamen adhuc incerta dicerentur.

[1] Tartari unum Deum colunt, omnipotentem et immortalem.... Superstitiosi sunt nimis..... Dominis suis plus cæteris prompte obedíunt,..... raro contendunt; propterea homicidia et vulnerationes inter eos vix fiunt. Prædones vel fures notabilium rerum inter eos non sunt, ideoque stationes et currus ubi thesauros conservant, seris aut vectibus non firmant.... Honorant se mutuo, et sunt ad invicem familiares; omnem accidentem, dum comedunt, ad convivium recipiunt; patientes quoque inediæ sunt caloris etiam et frigoris in equitando et de lacte vivunt. Sunt etiam strenui in facto armorum, in arte sagittandi maxime; sagittando fugiunt.... Turpes, inter oculos et genas lati plus cæteris, et genæ eorum multum præeminent a maxillis. Habent oculos palpebris multum coopertos, et parva est apertura in eis; habent nasum planum et parvum. Imberbes sunt, excepto quod in superiori labro et mento raros habent pilos et quasi volatiles. Graciles sunt in cingulo; omnesque fere sunt staturæ mediocris: rasuram faciunt prope verticis summitatem quæ descendit inferius per tempora ab aure usque ad aurem..... Communiter sunt leves et agiles ac bene equitantes, a pueritia quippe discunt currendo port armenta..... Habent tibias parvas, loquuntur clamose et in gutture, etc. (lib. III, part. XIII, cap. IX).

XIII.

Si autem in Sanuti libro, quæ fuerint eo tempore quo vixit populorum inter se commercia investigaverimus, illum majoris adhuc esse pretii plane constabit, quum Veneti præsertim commercio studiose diligenterque consuluerint. Postquam à Germanis erutum undique ruinas dedit Romanorum imperium, nulla jam fuerunt commercia, quum adeo regiones inter se distarent, quumque earum incolæ religione simul et moribus sejungerentur. Attamen, rebus ad luxuriam pertinentibus rursus etiam apud Barbaros adhibitis, cum Orientis nationibus commercia renovata sunt, multisque probatur exemplis in Dagoberti et Caroli Magni palatiis nonnulla fulsisse ornamenta quæ non nisi ex his orbis partibus translata fuerant. Quomodo vero merces eo tempore deferrentur haud omnino perceptum et cognitum; noverunt tamen eas a Sarmatis per Istri vallem e Byzantio importatas fuisse, dum raræ naves e portubus Interno Mari adjacentibus egressæ, Syriæ et Africæ ripis appellerentur, ubi arma, metalla, pretiosique panni arte singulari necnon apud inurbanos Occidentis incolas ignota, fabricabantur [1]. Verum eo

[1] De Guignes, *Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, T. XXXVII, — Depping, T. I, p. 150. — Veneti

tempore quo bella sub crucis vexilla suscepta sunt, in civitatibus præsertim Italiæ renovata ditescendi cupiditate, rursus mercatura facta fuit, et Veneti, Genuenses et Pisani naves miserunt in Syriæ et Phœnices oras [1], ubi, auxiliorum vice, maxima impetraverunt privilegia, sive negociarentur, sive remanerent. Plerumque in portus libere admittebantur, ac donabantur ecclesia, macellis, et quadam oppidi parte ubi propriis et legibus, jure concesso regebantur [2]. Prosperius etiam res evenerunt, præsertim Venetis, qui, postquam anno 1204 expugnata fuit Constantinopolis, sive armis, sive fœderibus, nonnullas Maris Ægei insulas ac sedes commercio idoneas in omnibus oris Interni Maris a Dalmatia

a decimo sæculo cum Oriente commercium faciebant. Salem et pisces vehebant, ac Orientis mercimonia per urbes Italiæ profundebant. (Daru, *Histoire de Venise,* T. I, p. 121.)

[1] Amalfitani primi inter Italiæ populos negotiati sunt, et « principes Ægypti tributis et muneribus sibi benevolos et placatos reddiderunt. » (Willerm. Tyr., lib. XVIII, cap. IV, V). — Jacobus de Vitriaco, *Hist. orientalis*, lib. I, cap. LXIV. — Muratori, *Antiquitates Italicæ*, dissertat. XXX.

[2] *V.* Depping, T. I, pp. 14, 150, 151; — Heeren, p. 334 et sq.; — Pardessus, *Collection de lois maritimes antérieures au XVIII[e] siècle;* Paris, 1831, T. II, Introduction, p. IX; — Daru, *Histoire de Venise*, T. III, lib. XIX, pp. 74 et seq. — Omnes exempla referunt excerpta e Marini (*Storia del commercio de' Veneziani.* Venise, 1796-1808): unum inter omnia notandum reperitur ap. Depping, *loc. cit.*

usque ad Phasim sibi vindicaverunt [1]. Ita autem Genuensium invidiam in se conflarunt, qui, quum gloriæ simul et divitiarum æmuli essent, omni ope atque opera sunt enixi ut Græcorum rursus instaurarent imperium (1261). Tum Veneti, amissis in Euxino coloniis, Soldaia, Tana et cæteris in quas per vias antiquitus usitatas ex Asia septentrionali merces advehebantur, sæpius ad Ægypti ripas applicuerunt, quum per hanc regionem facile cum Perside et India commercium habere liceret [2]. Fœderibus cum Soldanis juncti [3], obstantibus etiam Summis Pontificibus, illuc Occidentis mercimonia importabant, ac vice sua merces Orientis revehebant ; itaque quamplurimum lucri faciebant, quum eo tempore ex omnibus orbis regionibus mercatores a Venetis commeatus emerent [4].

[1] Michaud, *Histoire des croisades*, T. III, p. 204; — Choiseul-Daillecourt, p. 117; — Heeren, p. 351 et sq.

[2] Malte-Brun, T. I, p. 217; — Heeren, p. 364.

[3] Fœdera Veneti sanxerant, ut commercium adjuvarent, cum omnibus Orientis principibus, sive Christiani essent, nec ne. (*V.* Depping, T. II, ch. VIII, IX, passim; Heeren, p. 364 et sq.) — Quibusdam fœderibus hæc inscripta memorat Daru (*Histoire de Venise*, T. III, p. 75) : « In nomine Domini et Mahumeti. »

[4] De prospero Venetorum statu. (Daru, T. III, liv. XIX ; — Depping, T. I, p. 153 et sq. ; — Marini, T. IV à VII ; — Hallam, *Wiew of the state of Europe during the middle ages :* London, 1819, T. III, p. 390 et sq. ; — Pardessus, T. II et III, Introd., *passim.*)

Venetorum igitur ita se res habebant quum Sanutus librum scripsit, in eoque multa occurrunt e quibus utilitatem percipere licet de nationibus quibuscum Veneti negotiabantur, de mercimoniis eo tempore usu receptis, præsertimque de Ægypto, quæ Venetis tanti erat pretii ut nihil antiquius haberent quam ut eam armis occuparent. Veneti cum septentrionalibus regionibus commercium faciebant: e Dacia et Norwegia bladum in magna quantitate, sepum, coria boum et alia multa necessaria arcessebant; e quadam terra quæ Signa dicebatur aliisque Sclavoniæ locis multum lignaminis cum salitis carnibus trahi poterant et haberi [1]; in istis quoque regionibus, necnon in illis Germanico adjacentibus Mari, nautas comparabant peritissimos [2], præsertim apud Flandriæ incolas, qui quidem a Constantinopolis obsidio cum Venetis tam firma societate jungebantur, ut multi Venetiis assidue commorarentur, atque etiam inter reipublicæ milites stipendia facerent [3]. De Corsica lignum, de Marchia Anconæ ac Romandiola multum vini, de Venetiis ferrum et sextoria extrahi poterant; regnum Siciliæ, ducatus Apuliæ et Capuæ principatus multam præbebant segetem, multumque vini et olei, cum carnibus salitis, caseo,

[1] Lib. II, part. IV, cap. XIII.
[2] Lib. II, part. IV, cap. XVIII.
[3] *Ibid.*

cumino, ac fructibus arborum affluenter [1]. Ex oris Maris Ionici trahebatur lignamen quercinum, cum cætero bestiarum numero; e terra autem quam Græci Constantinopolitani tenebant [2], lignamen, ferrum, et seges habebantur; ita quoque de omnibus Maris Ægei insulis: e Melo multi lapides ad molendum, e Creta, ex insula Cyprensi [3] aliisque multa seges, cum vino, caseo, lignamine, pice, paleis, bestiis et sale colligebantur [4]. In his omnibus locis Veneti factores habebant qui necessaria emerent; Nosterque censet nonnullos apud Pisanos, Genuenses et Provinciæ incolas etiam adhibendos esse [5]. Verum imprimis cum Orientis regionibus Veneti negotiabantur, in quas per tres vias ex Asia merces jamdudum affluebant. Noster haud me-

[1] Lib. II, part. IV, cap. XIII; et *Sanuti Epist.*, III.

[2] Lib. II, part. IV, cap. XIII; et Depping, T. I, p. 112 et sq.

[3] De commercio cum hujusce insulæ incolis. (*V.* Depping, T. I, p. 104 et sq.)

[4] Lib. II, part. IV, cap. XIII. — Nihil Noster memorat de Asia Minori, de Rhodo quæ tamen multa præbebant (Depping, T. I, p. 109 et sq.), de Armenia (T. I, p. 131 et sq.). De Euxino multa seges ut nunc habebatur (T. I, pp. 179, 180). — Africa interior tunc divitiis abundabat. (Daru, T. III, lib. XIX, p. 77.) — His addenda essent ea quæ de Venetorum cum diversis orbis gentibus commercio referunt abundanter Daru (*ibid.*, p. 100 et sq.), — Pardessus (T. II et III, Introduct.). — Non autem hic locus, quum in Sanuti libro utilia investigare mihi tantum in animo sit.

[5] Lib. II, part. IV, cap. XIII.

minisse videtur illius qua e portubus Euxini mercatores per regiones a Tartaris habitatas, extremas etiam Orientis partes perlustrare audebant [1]; nec mirum quum Veneti a Genuensibus ex hac orbis parte recenter expulsi fuissent; nonnulla autem in illius libro deprehendas de istis viis per quas Orientis mercimonia in maritimas Asiæ vel Africæ partes adventabant. Una per Ormuz, Euphratis ripas, Bagdad, Thorisium, Antiochiam et Lyciam ad Interni Maris oras tendebat: hac scilicet conducebantur merces tantum modici ponderis et magni pretii, quum « conductus mercium magnas »expensas sustineret de salmatio vel vectura [2]. » Altera tendebat primum ad Aden, in Arabum terris: inde merces trans Mare Rubrum onerabantur usque in Ægypti ripas, deinceps dorso camelorum Babylonem ferebantur; denique, crescentibus Nili undis, flumen descendebant usque in Alexandriam et portus Maris Interni in littore sitos. Hanc autem viam majori mercatorum frequentia celebratam Noster asserit, ex quo Syriæ oppida ab Infidelibus expugnata ceciderant [3]. Ex

[1] Choiseul-Daillecourt, p. 110. — Depping, T. I, p. 121 et sq. — Malte-Brun, T. I, pp. 217, 218. — Heeren, p. 353 et sq. — Pardessus, T. II, Introd., pp. x, xiv et sq.

[2] Lib. I, part. I, cap. I. — Depping, T. I, p. 81 et sq. — Pardessus, T. II, Introd., pp. xx et seq.

[3] Lib. I, part. I, cap. I. — Choiseul-Daillecourt, p. 110. — Depping, T. I, p. 47 et sq. — Nonnulla memorat idem auctor

his terris a Venetis speciariæ et cætera Orientis mercimonia, ut cubebe, spicum, gariofili, nuces muscatæ, maci, piper, thus, cannella, bombyx, zucharum, linum cum serico mixtum, dactyli et cassia fistula quærebantur [1]. Ab eis autem ferebantur ea quibus Ægyptus indigebat, aurum, argentum, æs, stagnum, plumbum, argentum vivum, coralli, ambrum, oleum, mel, avellanæ, amygdalæ, crocus, mastica, bladum, safframen, ramum, panni lanæ ac serici ac tellæ, præsertimque lignamen, ferrum, pix ad naves ædificandas necessaria [2], atque etiam (proh pudor!) arma, pueri et puellæ, etsi sæpius prohibitio a Summis Pontificibus et principibus sive in Occidente sive in Oriente vulgata fuisset [3].

de Aden et de Alexandria, p. 62 et sq. — Heeren, p. 367, e Marini *Storia del commercio de' Veneziani.* — Pardessus, T. II, Introd., p. XXIII.

[1] Lib. I, part. I, cap. I, II, III. —Depping, T. I, p. 59 et sq.

[2] Lib. I, part. I, cap. IV, V, VI. — Depping, *ibid.*

[3] Nihil apud Nostrum invenias de hac Venetorum consuetudine quam multa testantur. (*V.* Depping, T. I, p. 57.) — Jamdudum Imperatores Constantinopolitani querebantur de commercio servorum a Venetis cum Infidelibus facto, et anno 959 vetitum fuit ne Reipublicæ cives arma et lignamina Sarracenis afferrent. Jussa contempta sunt; ac Summi Pontifices delinquentibus gravissimas etiam pœnas frustra minati sunt. (*Ibid.*, T. I, pp. 77, 78, T. II, pp. 172, 185 et sq. — Heeren, p. 316. — Daru, T. III, pp. 78 et sq., 84 et sq.) —Multos servos a quodam pontifice redemptos fuisse memorat, quos in Africam vendere Veneti nitebantur. Omnia quæ de servorum commercio referunt

De his omnibus in regna importatis aut inde exportatis, Soldanus vectigalia maxima percipiebat: de auro sex et duæ tertiæ pro centenario solvebantur, de argento decem, de ære quartum, de stagno quintum, itemque de argento vivo, plumbo, corallis et ambro, ita ut tertium prope valoris mercium ærarium ejus intraret [1]. Ex his plane intelligendum quanti Venetorum interesset ut Soldano auferretur Ægyptus, quum hac regione Christianis aut etiam ipsis concessa, jam nulla futura essent tributa, recta cum Indis negotiaturi essent [2], itaque quamplurimum lucri essent facturi, qui merces ab extremis Orientis partibus transvectas in omnes Occidentis regiones prope soli dispertirent.

Ex his autem quæ Venetorum monopolio obstabant, nonnulla prospere cesserunt; ut enim vectigalia a Soldano imposita vitarentur, quarumdam regionum incolæ sibi necessaria ipsi fabricaverunt, et Nostri libro probatur bombycem jam eo tempore in Sicilia, in Creta, in

isti auctores excerpta sunt e Marini *Storia del commercio de' Veneziani;* iste autem liber vulgo desideratur, ac Hallamius, rerum historicarum eruditissimus investigator, illum a se nunquam inventum fuisse fatetur.

[1] Lib. I, part. I, cap. IV.

[2] Multa obstabant quominus mercatores libere in Ægypto negotiarentur. « Soldanus vero, inquit Noster, per terras quas tenet non permittit aliquem Christianum transire qui in Indiam cupiat transire » (lib. I, part. I, cap. I). Abscondebant aquam incolæ ne ab aliegenis posset reperiri (*ibid.*, cap. VI).

Romania et in Cypro in bona quantitate natam esse, dum zucharum in Rhodo, Amorea, Marta cresceret, unde etiam in Americam transvectum fuisse memoratur [1].

De omnibus ad commercium spectantibus etiam eo tempore Veneti prudentissime sentiebant; maturius enim apud eos banca cambii exstitit [2], et apud Sanutum miratus deprehendas passim opiniones quas recentiores assecuti sunt, de quibus autem etiam nunc a peritissimis disputatur. Censet enim « privatos ferventiores »sive promptiores fore in propriis ipsorum negotiis »exsequendis, magisque sollicitos ac fideles quam »essent in eis quæ ad reipublicæ bonum pertinerent [3] », ac sæpius mercatoribus vindicat perfectam absolutamque commercii libertatem. Si forte creandos esse factores arbitratur, petit ut sint « securi et absque datio seu teloneo gradi valeant et redire ac etiam permanere [4]. » Postquam recuperata fuerit Terra Sancta, cavendum,

[1] Lib. I, part. I, cap. II. — Heeren, p. 393. — De officinis ubi in Sicilia panni cum serico mixti fabricabantur (*ibidem*). — Pardessus, T. III, Introd., pp. LX et seq. — De zucharo, Heeren, p. 397 et sq.

[2] Depping, T. I, p. 175. — Erant apud Venetos magistratus qui de rebus ad commercium spectantibus dijudicabant (*ibid.*, T. II, pp. 5 et 6). Instituerant antiquitus consules in omnibus prope Orientis civitatibus (*ibid.*, T. II, p. 30 et sq. — Daru, T. III, p. 91 et sq.).

[3] Lib. II, part. IV, cap. XIII.

[4] *Ibid.*

inquit, « ne fideles ad conquisitas terras cum mercatori- » bus vel quibuscumque rebus accedentibus angarientur » in aliquo, vel graventur datiis vel gabellis, et similiter » quæ voluerint extrahere libere permittantur. Per hoc » enim major erit rerum copia, mercatorum frequentia, » et concursus etiam cæterorum ad incolendam Terram » Sanctam properantium ; habitatores nihilominus terræ » plenius necessariis affluent, et sua commoda asse- » quentur. » Hæc etiam addit, quibus sententia perspicua magis et dilucida : « Quia datium nihil aliud esse » communiter æstimatur quam furtum aut rapina squa- » lido satis colore vestita, non sine urgenti necessitate, » cum multa deliberatione multoque moderamine, com- » mercium vel datium imponendum [1]. » A politicis viris qui nostra ætate sive orationibus, sive scriptis commercii libertatem defenderunt, nil planius dictum fuisse nonne fatendum est?

XIV.

Ut jam supra, paucis vero, prædictum est, in nonnullis hujusce pretiosissimi libri a Sanuto scripti ap-

[1] Lib. III, part. XV, cap. XXV. — Noster autem hæc non admodum invenit, quum Veneti eo tempore liberum fore commercium in quibusdam ipsi sentirent. (*V.* ap. Depping nonnulla exempla, T. I, pp. 164, 165.) — Panni libere in Orientem transferri poterant, et permissum fuit anno 1272 merces absque datio in Galliæ portus mittere.

paret quis fuerit quarto et decimo sæculo Christianitatis status, et quomodo, animorum ardore sedato, tunc omnes aliter omnino sentirent. Quum olim in concilio apud Clarum Montem habito, Urbanus II fideles exhortatus fuisset ut Sarracenis totis viribus occurrerent, Christianorum ærumnas et hostium « quibus nomen christianum delere » propositum erat irreligiose facta in memoriam revocaverat; verba quasi a Deo ipso suggesta recepta fuerant, armisque indutis quam celerrime iter omnes susceperant [1]. Ex illis qui cruce signati patriam ita deseruerunt, nonnulli forsan in Oriente voluptates et regna sperabant, multi quoque inter miseros, « ut creditores suos eluderent, aliis se adjungebant [2] »; a plerisque tamen pietatis non utilitatis causa bellum statutum fuisse pro certo dicendum est [3].

[1] Willerm. Tyrensis, lib. I, cap. XV.

[2] *Ibid.*, cap. XVI.

[3] De Guignes, *Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, T. XXXVII. — Asserit quidem commercii causa bella in Oriente suscepta fuisse, utque firmetur opinio, nonnulla profert ex historicis excerpta. « Alii, inquit Jacobus de Vitriaco, causa negotiationis tracti, alii causa devotionis aut peregrinationis. » Item ap. Sanutum et Willermum Tyrensem. — « Non defuerunt de Occidentalibus multi qui loca sancta, licet in hostium potestatem redacta, aut devotionis, aut commerciorum, aut utriusque gratia, adirent aliquoties. » Ex his autem non inferendum mihi videtur bella sancta commercii causa gesta fuisse, saltem undecimo sæculo.

Paulatim deferbuit ille pius ardor, et principes profecti sunt ut urbes et principatus adipiscerentur in Asiæ regionibus de quibus tam multa portentosa narrabantur. Quis fuerit ille novus animorum habitus jam apparet, quum cruce signati, Constantinopoli expugnata, Imperii Græcorum provincias inter se diviserunt; planius autem in Nostri libro, qui consiliis ad utile tantum spectantibus in lucem prolatis, confitetur se minus religione quam patriæ divitias et potestatem augendi cupiditate moveri. In quadam ad Summum Pontificem epistola scribit equidem fideles incitandos esse « ad conquisitionem Terræ Sanctæ in qua humani generis creatio et redemptio facta fuit, patriæ amore et reverentia majestatis divinæ [1] »; consilia autem imo in pectore suscepta his verbis pietatis simulatione teguntur, quum id tantum voluerit scilicet ut Veneti simul Ægyptum, Maris Interni imperium et liberum cum Indis commercium impetrarent. Quum olim Christiani in Orientis partes bellum inferrent, præsidio Dei confidebant pro defensoribus propugnaturi, et periculose semper actum est; quarto autem et decimo sæculo nonnulli viri discrimina usu didicerant, ac Sanutus omnia diligentissime prospicit ut consilia prospere cedant. Censet enim cum Tartaris jungendum esse fœdus, amicitiam Constantinopo-

[1] *Gesta Dei per Francos*, T II, p. 8.

litani Imperatoris sibi conciliandam qui schisma respuet, demumque invadendam Ægyptum, ut Sarracenorum imperium in intima quasi parte læsum, penitus eruatur Minutissima etiam consectatur ut doceat quomodo conscribatur exercitus, quibusque viis eundum, qua ratione in præliis vincendum, ac firmanda victoria sit[1]. Quibus valde probatur bella fidei propagandæ causa suscepta non jam fieri posse, imprimis si meminerimus a Nostro cruce signatis stipendia petita fuisse. Hæc ab omnibus, tam principibus et baronibus quam a communitatibus civitatum exigenda putat, quum plerique ob paupertatem sumptus necessarios facere nequirent, quumque « soldati melius mandatis capitanei attendant et obediant[2]. » Quæ quidem vera forsan existimanda sunt; illi autem qui primum ut Terram Sanctam ab Infidelium jugo liberarent profecti fuerant, nulla stipendia merebantur, nec paupertate deterrebantur, quum mortem in desertis Asiæ ferventibus animose quærerent. Olim, absoluta victoria, ecclesiæ primum rursus ædificabantur, et Godefridus de Buione coronam abnuerat in hac civitate reverenda in qua Christus olim spinis (infandum!) coronatus fuerat. Quarto autem et decimo sæculo, animis religione solutis, non jam de his agitur: censet

[1] *Secreta fidelium Crucis*, lib. II et III, passim.
[2] Lib. II, part. IV, cap. XIX.

quidem Sanutus, recuperata terra promissionis, patriarchas redituros Antiochiam, Alexandriam, Constantinopolim et Hierosolymam; addit etiam: « Iterum visi-
» tari poterunt multa loca venerabilia et præcipue illa
» quæ Domino nostro Jesu Christo pro redemptione
» nostra suis sanctissimis pedibus placuit visitare, de
» quibus Vestra Sanctitas (de Summo Pontifice agitur)
» suum posset in processu temporis desiderium adim-
» plere[1] »; sed e multis patet Venetorum potestatem majoris illi pretii videri, qui postquam Ægyptum assecuti fuissent, « in Mare Indiæ naves intromittere poterunt,
» itaque dominabuntur illi mari, et illarum partium in-
» sulas subjugabunt, ac in terra firma terras maritimas
» existentes[2]. » Imprimis appetit ut cives absque datio ex Indis mercimonia quærant, in Occidentis regiones transferenda[3]; idque verisimile crediderim scilicet, si libere cum Ægypto negotiari potuissent, futurum fuisse ut parvi Nostri referret utrum Christiani an Infideles Terram Sanctam sub ditione tenerent. Quantum temporalia jam ea ætate prævalerent Nostri testantur epistolæ, qui, quum reges ad exsequenda consilia a se non posse moveri videret, scribebat: « A minore usque ad majorem
» omnes dormiunt in hac causa, temporalia cœlestibus

[1] Lib. II, part. IV, cap. XXVIII.
[2] *Ibid.*
[3] V. *supra*, cap. XIII.

» præponunt, unde multi, licet cum fletu dixerim, » porcis quodammodo similes sunt facti[1]. » Quæ, quum etsi non eleganter dicta, verissima sint, quid concludendum nisi, eo tempore quo Sanutus vitam egit, bella sub crucis vexillo suscepta minime omnino posse fieri? Reges utilia respicientes, nihil aliud studebant quam ut extrinsecus imperium augerent, domi vero optimatibus auctoritatem contumaciter repudiantibus, depræliarentur; cujus igitur erat momenti longe fortunam tentare, ut triste solum et per multa pericula gloriam inanem adipiscerentur? His tantum commoveri poterant Veneti qui commercio indulgebant; necesse autem erat ut soli, ab omnibus derelicti, remanerent, utque prudentissima etiam consilia ad nihilum neglecta reciderent. Tempora scilicet recentiora oriebantur, quæ a præcedentibus (id est a medio ævo) hominum studiis et opinionibus maxime discrepant, cum ab omnibus, ut Nostri verbis utar, « temporalia cœlestibus præferantur. »

XV. CONCLUSIO.

Quid nunc inferendum ex his quæ supra diximus, notitiisque quas apud librum collegimus pro sæculo tam rudi pretiosissimum?

Sanuti opus primo perspicue probat quantum mutatus esset terrarum orbis, post bella a Latinis in

[1] *Sanuti Epist.*, IV.

Oriente gesta. Antea enim quam bella sub vexillo crucis suscepta fuissent, omnis fere Occidens incondita barbaria jacebat obrutus; nulla communis opinio; vincula nulla erant quæ populos inter se jungerent; omnia quisque ad se regionemque suam referebat; commercium nullum, rarissimus invicem usus erat gentibus. Rudis adhuc admodum erat industria; post bella autem jam dicta, quæ vita! quis motus! Probat hic Noster absolute quot et quanta commoda inde provenerint. Jam de commercio notitiæ apud eum magni momenti reperiuntur. Hinc enim novimus regiones septentrionales in meridiem fruges suas cum nautis transvehere, vicissimque meridionalium Orientisque regionum commeatus accipere. Maritimæ vero Italiæ urbes cum omnibus regionibus Mediterraneo Mari adjacentibus, cum Provincia Græcique imperii insulis, cum coloniis Euxini, cum Syria Phœniceque et Ægypto commercium habebant. Per Mare Nigrum cum Asia septentrionali juxta Caucasum mercaturam faciebant; tum per Phœnices portus rem cum Perside Asiaque media habebant; per Ægyptum denique ex India fruges illas percipiebant omni ætate tantopere quæsitas, quas Joinvillus ingenue aiebat in Terrestri Paradiso natas, ventisque in solum Ægypti impulsas [1]. Ea de

[1] « Quand celuy fleuve entre en Egipte, il y a gens tous expers et accoustumez, comme vous diriez les pescheurs des

re multa scripsit Sanutus quæ perlegere operæ pretium est; ejusdem liber argumento est etiam quantum de commercio opiniones profecissent; Venetos oculis subjicit, factoribus ubique consulibusque constitutis, in tantum provectos ut de libertate commercio necessaria doctrinam meditarentur quæ nostra quidem ætate tantum renovata fuit[1]. Quam propter industriam necesse fuit gentes inter se frequenti commercio jungerentur, ideoque proficeret navigatio. Sanutus in plurimis libri sui locis permulta de hac tanta arte exponit, quibus manifestum est in quantum crevisset[2]. Jam scite naves exstructæ et bene dispositæ, commeatibusque instructæ, milites plurimos accipere poterant; hyeme quoque mare navigari cœperant[3], tum demum per nauticam pyxidem,

rivieres de ce pays cy qui au soir jettent leur retz au fleuve et es rivieres, et au matin souvent y trouvent et prennent les espiceries qu'on vent en les parties de par deça bien chierement et au pois, comme canelle, gingembre, rubarbe, girofle, lignum aloës, et plusieurs bonnes choses, et dit-on au pays que ces choses la viennent de paradis terrestre, ainsi comme le vent abat es forets de ce pays le bois sec; et ce qui chiet en ce fleuve l'eau amène, et les marchands le recueillent qui le nous vendent au pois. » (Joinville, 2ᵉ part., p. 36, édit. Ducange.)

[1] *V.* supra, cap. XIII.

[2] Lib. II, part. IV, passim.

[3] Viri quibus ut Sanuti opus recognoscerent mandatum fuit à Summo Pontifice, hæc referunt: « Quia hodie navigatur per mare in hyeme magis solito. » (*Secret. fidel. crucis*, p. 4.)

cujus erat frequens usus [1], jam in eo erant longæ peregrinationes ut fieri possent.

Industria quoque rudis primis ævi medii temporibus post suscepta sub vexillo crucis bella in multo melius mutata fuerat. Jam Europa tributa nulla regionibus Orientis persolvere cœperat propter illa quæ ad luxuriam pertinent, quæque olim magnis sumptibus ex remotis oris advehebat. Idem nos edocet fuisse in Sicilia officinas in quibus sericum elaborabatur; colebatur zucharum in insulis Mediterranei Maris; tum Occidentales portubus Ægypti metalla, arma, vestesque invehebant ab ipsis fabricata. Abs re quidem sit de his omnibus iterum disserere quæ supra diximus [2], nunc illud satis erit subjicere, scilicet per Sanuti opus falsas historicorum ætatis proxime elapsæ opiniones infirmari posse, qui censerent pia bella maturitatem Europæ morata fuisse potius quam accelerasse [3]. Nihil

[1] Hæc apud Nostrum testantur nonnulla : « Quin potius, ait, magnes attrahit ferrum, quia nobiliori modo in magnete virtus sui principii poli artici reperitur. » (*Ibid.*, p. 8.)

[2] *V.* supra, cap. XIII.

[3] Which appear to me checked rather than forwarded the maturity of Europe. (Gibbon, *History of the decline and fall of the Roman empire;* London, 1788, in-4°, T. VI, p. 240.) — Gibbonius in his sententiam assecutus est Voltarii qui aiebat: « Ainsi, le seul fruit des Chrétiens, dans leurs barbares croisades, fut d'exterminer d'autres Chrétiens. » (*Essai sur les mœurs,* ch. XLVII.) — De his eosdem errores deprehendas apud

enim vero magis abhorret, cum ingentia hæc bella tanto ad vitam hominum melius in dies excolendam adjumento fuerint, ut per illa Oriens societatem jungere cum Occidente potuerit; quod quidem meditati erant Alexander et Cæsar, ætas sexdecima senserat, nostri autem perfecerunt.

Jam vero Sanuti opus magni profecto æstimaverit, si quis geographiæ in quatuordecima ætate studere voluerit. Priscis quidem temporibus, Europa omnis septentrionalis ignota erat; insula Thule in extremis terrarum partibus jacebat [1]; Britanni autem, ut ait poeta, toto penitus orbe divisi erant: Asia nota prorsus non erat nisi usque ad Euphratem, nec quidquam de cæteris ultra hunc amnem regionibus pro certo tenebatur: Africa vero septentrionem versus ad Atlantem usque diligenter explorata, media parte meridiemque versus ignota penitus erat, neque ulla supererat Phœnicum itineris hanc circa terrarum orbis partem memoria. Sanutus autem probat quantum per bella

Hallamium et Carolum Mills, qui quantum pia bella in Europam officia contulerint non plane intellexerunt; eorum autem argumenta omnino infirmantur à quibusdam inter recentiores historicis. (*V.* Choiseul-Daillecourt, Heeren, Michaud, vol. VI; Guizot, *Histoire de la civilisation en Europe*, 8e leçon.)

[1] .... Nec sic terris
Ultima Thule.
(Seneca, ap. *Medeam.*)

sacra profecisset geographica doctrina : eoque auctore licet perspicue definire quid ea de re notum esset illo vivente.

Cognita erat tota Europa ad Oceanum usque, quo septentrionem versus subluitur; geographicaque tabula quam Sanutus operi addidit regiones omnes nostra ætate constitutæ indicantur. Anglia, Scotia, Hibernia, Dacia, Suetia, Norwegia, à Rutenis habitata regio incondite prorsus, non diffiteor, adumbratæ sunt; qua tamen parte jaceant certum indicium est.

Item de centrali meridionalique Europa : hoc fere tantum in hac tabula reprehenderim, quod pauciora sint locorum indicia. Apud Anglos enim nullam urbem indicat, apud Francos urbem tantum Parisiorum Tolosamque meminit, apud Hispanos Sibiliam et Gades. Asiam vero, quod jam Græcis et Alexandro bellantibus acciderat, bellum melius expandit, arcanasque detexit illas regiones, de quibus tot fabulæ narratæ sunt. Minor Asia optime nota erat, ejusque divisiones; Syriæ Phœnicesque oræ, Palæstinaque tam penitus exploratæ fuerant, ut Noster urbes omnes portusque sigillatim describere potuerit, additis etiamque de quibusdam propriis notitiis quas admodum raro apud scriptores illius temporis reperimus. Jam vero Arabum deserta nihil obstabat quominus investigata essent, ipsaque Mecha ubi sita esset diligentius notum erat,

etsi nondum regionis figura. De regionibus autem ultra Euphratem æquum est dicere tunc temporis geographicas notitias nondum certas suppetere. Haud quidem ignotum erat ingens mare quod Asiam orientem versus alluit; interiora vero omnia fabulis ineptisque narrationibus locum præbebant, quibus et Noster et posteri decepti fuere. Fallit eum vera quæ sit Indiæ species; mediam incolere censet Tartaros quorum de moribus ea in libro scripsit quæ perlegere operæ sit pretium. Tum confusius Gog et Magog castra permiscet, sedemque presbyteri hujus Johannis, de quo tam ridicula medio ævo dictata sunt. De Sinensi imperio à Marco Paulo aliisque viatoribus adito, nihil apud eum; tantum in septentrione locat imperium Cathay dictum quod nihil aliud videtur esse nisi arcana ista regio. Denique septentrionem versus satis habet dicere oram hanc propter frigus inhabitatam esse. Unde intelligitur eum certiora non docere, nisi quod ad Occidentem pertineat, imprimisque Mediterranei Maris littora; multum tamen jam profectum erat; constat enim Christ. Columbo, postquam eum errare coegissent ea quæ ab auctoribus ævi medii falso relata fuerant, in mentem postea venisse ut occidentem versus Indiæ extensionem quæreret [1]. Africæ magis etiam quam

[1] Robertson, *History of America*, lib. II.

Asiæ Noster erat inscius ; una illi Ægyptus adeo pernota erat, ut omnes ejus urbes et portus in ordine certo describere potuerit. Qua quidem excepta regione, quot et quantis in erroribus versatur ! Prorsus abest speciei notitia ; latior enim ad meridiem quam ad septentrionem effingitur ab eo continens, et propter calorem inhabitata dicitur ; nihil autem de insulis occidentem versus spectantibus ; in medio Getulia falso indicatur, et in Nubia incerti Nili fontes monstrantur, cujus de cursu alibi nonnulla memorat perlegenda. Quid plura ? Tabulis ex istis, quanquam inconditis, tamen patet his temporibus non ita rudem fuisse scientiam geographicam, nec multo labore comparari potuisse totius mundi veteris notitiam [1].

Hoc denique per Sanuti librum confirmare licet, quid nempe Veneti, dum bella prius dicta gererentur, sibi voluerint. Ex his nimirum omnibus quæ supra diximus liquet Venetos ea ætate religioni minime studuisse, eamque ambitioni commercioque posthabuisse. Incipientibus enim piis bellis, Veneti Syriæ quidem et Ægypti littora navibus obsederunt, sed ut mercaturam suam legibus quibusdam adjuvarent. Multo jam ante cum Græcis Imperatoribus Ægyptique Soldanis rem habebant, et postquam armis aliquid quæsitum esset,

[1] *V.* de his supra, cap. XII, et tabulas libro Sanuti additas. (*Gesta Dei per Francos*, T. II.)

immunitates sibi concedendas et conditiones utilitati suæ maxime secundas curabant. Quod quidem e quarto bello manifestissime patet. Christianos enim primum adversus Illyriæ gentes, sibimetipsis infensas, ad bellum impulerunt; dein, capta Constantinopoli, littus omne hujus imperii à Dalmatia ad imum usque Euxinum sibi vindicaverunt. Amissis quoque Orientis coloniis, tamen a proposito non deterriti sunt; nosque optime docet Sanutus, quo pertinaciter tenderent. Quum enim censet occupandam esse Ægyptum, religionis utilitati negligentius consulit; illud præsertim referre ait, ut ea regio teneatur, qua patet cum Indis commercium Soldanique eruantur opes, cui tributa gravissima persolvuntur.

Quæ quidem Venetorum agendi ratio dignissima est cui maxime attendas; nec ideo tamen gravior in eos sententia ferenda est. Cum sibi commercium unum proponerent, nec alium ex sacris bellis fructum percepturos se sperarent, nisi quod patriæ regiones novæ forent aperiendæ, cæterum quo jure opibus et maritimo imperio elati erant, cujus in partem soli Genuenses adhibebantur! Quod minime dubium est Sanutum perlegenti, qui in memoriam revocat Venetias mari insidentes, loco debuisse, quod nunquam armis quæsitæ fuerint, nec demum libertatem quisquam violare potuerit[1],

[1] Lib. II, part. III, cap. I.

quumque principes omnes monet hac una ratione, si nempe societatem cum Venetis junxerint, in Oriente imperium stabile firmaturos, quum denique superbe jactat Venetos *socios quidem, non dominos, velle* [1]. Hæ vero Venetorum opes, civium industria, militum virtute et artium incremento unice partæ, novum afferunt argumentum, jam quarto et decimo sæculo novum incipere rerum ordinem, Europæque gentes in eo esse, ut jam non uno religionis vinculo inter se consocientur [2].

[1] Lib. II, part. IV, cap. XVIII.

[2] Quæ Venetorum fuerit indoles non solum e Sanuti libro apparet; nonnulli enim inter hujusce ætatis scriptores eadem referunt: « Si quidem Italici Terræ Sanctæ valde sunt necessarii, non solum in præliando, sed in navali exercitio, in mercimoniis et peregrinis et victualibus deportandis. » (Jacobus de Vitriaco, *Hist. Orient.*, I, 67.) Addit vero eos non tantum religione moveri: « negotiationibus et mercimoniis plus quam Christi præliis implicantur. » (*Ibid.*, cap. LXXIII.)

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. V Kalend. Mart. ann. MDCCCLIV.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J.-Vict. Le Clerc.

Typis mandetur:

Academiæ Parisiensis Rector,

Cayx.

ERRATA.

P. 6, *l*. 6, *pro:* quis tunc temporis, *lege:* qualis.

P. 20, *l*. 16, *pro:* occurissent, *lege:* occurrissent.

P. 29, *l*. 1, *pro:* Antochia, *lege:* Antiochia.

P. 30, *l*. 6, *pro:* Beluaensi, *lege:* Belvacensi.